



## OBSERVATIO III.

De Comite Wichmanno, Monasteriorum Kaldenbornensis et Etters-  
burgensis fundatore.

**C**omitem *Wichmannum*, qui ansam dedit prioribus duobus diplomatis a nobis productis, esse eundem, qui vna cum vxore *Cunigunda*, *Ludouici* Comitis Thuringiae, vulgo *Saltatoris* dicti, filia, coenobium Kaldenbornense haud procul a Sangerhusa Thuringiae oppido quondam situm fundauit, 1) rationes sequentes euincere videntur. *Primo* hic noster Comes eodem cum fundatore Kaldenbornensi vtitur nomine, ad quod eo magis respiciendum, quo infrequentius hoc nomen mediæ aevi temporibus occurrit; *deinde* noster eodem vixit tempore, quo Kaldenbornensis, dum ambo monasteria et Kaldenbornense et Ettersburgense fere eodem tempore, illud videlicet anno MCXX. 2) hoc a. MCXXI. 3) condidit; *postremo* et Kaldenbornensis et Ettersburgensis conditores posthabitis omnibus terris et diuitiis vitae religiosae sese mancipauerunt. 4) Noli ea de re dubitare, quoniam *Wichmannus*, conditor Kaldenborn-

- 1) Annal. brev. Thuring. ap. Eccard. in Geneal. Sax. col. 347. add. praef. ad Cod. diplom. Kaldenborn. ap. Schoettg. et Kreyfig. in Diplom. et Scriptt. Hist. Germ. Tom. II. p. 689. vt et Leuckfeld. Antiqq. Katelenburg.
- 2) vi diplom. ap. Schoettg. et Kreyf. l. c. pag. 690. 691.
- 3) vi diplom. secundi a nobis producti.
- 4) De fundatore Kaldenbornensi hoc innuunt verba diplomatis ap. Schoettg. et Kreyf. l. c. p. 690. sequentia: *His omnibus oblati idem vir nobilis dignius adhuc, immo holocaustum Domino dulcissimum, semetipsum obtulit &c.* de nostro Wichmanno idem haec produnt diplomatis nostri de anno MCXIX. verba: *Qui diuina misericordiae ad apostolicae sanctitatis vitam promotus in religiosorum virorum ecclesiae factus est regularis canonicus &c.* quibuscum conspirant, quae habet secundum diploma nostrum anni MCXXIII. *C. Wichmannus ante conuersionis suae tempora &c. item: cum iam conuersionis habitum suscepisset. &c.*